

1341 gener 26. Organyà

Roger Bernat III, vescomte de Castellbò, regula les pastures i el pas del bestiar dels andorrans per l'Urgell amb la finalitat d'acabar amb les extorsions que els infringien els seus oficials. Fa aquesta regulació en resposta a la súplica presentada per Ramon de l'Ortell i [Camil] Rossell, de Canillo, com a representants dels homes d'Andorra, i en resposta, també, als requeriments que, en altre temps, li havien fet el seu germà, Gastó II de Foix, i els homes d'Andorra.

[O]. Original no localitzat. — A. Trasllet de 22 de març de 1341, Andorra la Vella, ANA/ASC, perg. núm. 4.831. Document en mal estat de conservació. Al dors: «Treslat [...] com són franchs los habitants de Andorra de peatges, passatges et lleudes en lo [...]» (segle XVI); « [Ar]naldus Calbó [...] locorum [...] eorum et [...]» (segle XVII).

a. BAIGES; FAGES, *Diplomatari*, doc. 32, pàgs. 81-84.

Hoc est translatum bene et fideliter factum die intitullata undecimo kalendas aprilis, anno domini millesimo CCC^o quadragesimo, a quodam suo originali sumtum cuius series talis est:

«Manifestum sit onmitus presentem paginam visuris et auditoris quod nos, Rogerius Bernardi de Fuxo, Dei gratia vicecomes Castriboni, reminiscentes in veritate nobis fuisse plura intimatum per quosdam homines de Andorra quod baiuli nostri de Nargone, de Salent et de Organiano, de Tausie, vallis de Aquilario, in loco de Novis, de Belestar, in valle Sancte Cicilie, de valle Sancti Iohannis, in loco de Bastita, a paucis temporibus citra oprimebant, inpediebant et plurima dampna eis infferebant et merciis et animalibus suis cum transiebant per loca predicta ocassione peagii seu pasagii animalium suorum, quare requirebant nos quod dicti officiales et submissi nostri a predictis violenciis, extorsionibus et gravaminibus dictis hominibus de Andorra illatis seu amodo inferendis desistere faceremus. Recolentes etiam quod egregius Gastonus dominus, Dei gratia comes Fuxi, carissimus frater noster, fuit [nobis] pluries locutus de predictis et per suas literas nos pluries requisivit et rogavit quod predictas violencias et extorsiones, sic illicitas, faceremus penitus amodo remanere, et nos, aliis diversis negociis ocupatus, usque nunc ad predicta intendere non potuimus. Nunc vero, ad instanciam et humilem supplicacionem Raimundi de l'Ortel, Camyllemi Rosel, [de Canilleu, ex parte] universitatis hominum de Andorra requirencium et supplicancium, et cupientes quod illud quod male actum extiterit per nostros submissos corrigere et emendare et statum terre nostre et submissorum

nostrorum de bono in melius [reformare, et] prehabito et comunicato consilio diligenter tractatu cum consiliariis nostris et super predictis per eosdem legitime informati, ad [honorem] Domini statuimus et ordinamus, [gratis] et bona voluntate ac animo deliberato, [per nos et nostros presentes et futuros, quod homines de Andorra et mulieres, cum animalibus suis propriis, passint quandocumque eis placuerit, licite, salve et secure], per omnia loca Urgelleti superius expresata et per totam nostram ditionem Urgelleti, de die et de nocte, per itinera et loca deserta ubi animalia depascere possint et victum levare, eundo et [redeundo] licite come[ss]e, absque aliqua exactione seu extorsione peagii seu pasagii, quam solvere minime teneantur in aliquo loco nobis nec alicui infra terram nostram vicecomitatus predicti, nisi dumtaxat unum par casseorum, quod solvant et tradant semel in anno nostro baiulo in loco de Nargone, quilibet pro suo bestiaro, per quemcumque locum ipsum duxerit extra nostram ditionem, et quarumcumque sit parum vel multum, semper solvant dictos casseos in loco predicto de Nargone, prout actenus est fieri consuetum.

Item ordinamus quod si aliquis homo de Andorra vel femina habuerit parceriam bestiarum cum aliquo homine Urgelleti vel alterius loci et voluerit ducere dictum bestiarum de parceria extra nostram ditionem, quod pro parte sui parcerii tantum solvat et solvere teneatur in loco de Nargone decem et octo denarios barchinonenses bonorum pro centenario et non plus de parte dicti sui parcerii, ut dictum est supra. Pro parte, vero, dicti andorrani solvat duos caseos, ut supra tactum est, et non plus.

Item ordinamus quod si dictos homines de Andorra transeuntes cum animalibus suis per alica¹ loca nostra et ipsis faciebant talas in bladiis [et vineis] seu aliqua alia dampna inferebant submissis nostris in bonis eorum, illa satisfaciant sufficienter et satisfacere teneantur dampnum passis, ad quam satisfaccionem faciendam compellantur graciose et non maliciosse. Et si dicta bestiarum intrarent divesias vel loca prohibita, compellantur ad solvendum bannum consuetum [graciose], ut dictum est supra. Et si forte dicta bestiarum hominum de Andorra remanent in Urgelleto per aliquod espacium temporis, solvant pasturam et pasquerium prout actenus extitit fieri consuetum, et nihil aliud solvant nec solvere teneantur.

Volumus etiam quod si forte, ob casu fortuitu guerre, inundacionis aquarum vel aliqua alia eveniente necessitate, [homines] remanere per duos vel III dies in uno loco, propter hoc ad solvendum pernam minime teneantur neque pasquerium, nisi dumtaxat per totam ihemem vel octo dies ad minus, in illo casu teneantur solvere pernam et non aliud.

Mandantes firmiter et districte cum hoc publico instrumento, quem in hoc casu vicem epistole volumus obtineri, vicario nostro, iudice et aliis officialibus et submissis nostris presentibus et futuris, imffra terram nostram Urgelleti constitutis, et specialiter domino Arnaldo de Aquilario, militi, baiulo de Tausio, Raimundo de Aquilario, baiulo vallis Sancti Iohannis, Petro de Aquilario, baiulo de Belestar, et baiulo vallis de Aquilario, de Orguaniano, de Salent et de Nargonne et eorum locatenentibus quod aliquis eorum in locis suis nec aliis nunquam petant, habeant, exigant vel recipiant aliquid ab hominibus de Andorra presentibus et futuris occasione passagii animalium eorundem, nisi illud quod est supra ordinatum in Colle de Nargone, immo quod omnia prescripta per nos de asensu dictorum requirencium superius ordinata teneant et observent et faciant inviolabiliter observare et nunquam contraveniant nec contravenire permitant palam vel occulte, si de nostri confidunt gratiam vel amorem, et si quis contrafacere vel venire presumpserit, iram et indignacionem nostram et penam decem librarum barchinonensium bonarum nostro erario aplicandam et persolvendam, cum integra satisfaccione dampnorum et [expensarum dampnum] pasis se [iusti ferendum].

Quod est actum in Organiano], veneris proxima post [festum] Sancti Vincencii, die intitulata septima kalendas februarii, anno Domini M^o CCC^o quadregesimo.

Sig+num domini Rogerii Bernardi, hec laudantis et firmantis.

Testes huius rei sunt: honorabiles Petrus Serqueda, vicarius, Raymundus Serqueda, iudex ordinarius Urgelleti, Arnaldus de [P...tso] Castriboni, Petrus Fornerii, capellanus, Ffranciscus Sescorts, mayordomus domine vicecomitisse Castriboni.

Ego Iohannes Sicardi, publicus vicecomitatus Castriboni notarius, hoc instrumentum recepi et in publicam formam scribi et redegí feci et meo signo clausi (*senyal*)».

Sig(*senyal*)num mei, Petri Sicardi, notarii publici Castriboni, qui hoc translatum a suo originali [translatari] feci et scribi die et anno in prima linea contentis et cum dicto suo originali bene et fideliter [examinati] de verbo ad verbum, nichil addito neque remoto, ad cuius examinacionem fuerunt presentes et legentes: discretus Guillelmus Vallespirii, rector ecclesie Ville Rubee, Petrus de [...bus] et Arnaldus Seguini, clerici, pro testibus vocati.

1. *En lloc d'aliqua.*